



~~Ed. 236~~

1) Liber, P.

mobl 2) - 15)

EL 236

(3) = HF



5

PRÆCIPVA,  
RELIGIO=  
NIS CHRI=  
STIANÆ CAPITA  
NUMERIS POETICIS  
illigata, & conscripta  
pro pueris.

A  
M. JOACHIMO  
FRIDERICO.

Continet hoc paruum quam maxima dog=  
mata scriptum,  
Quæ monstrant uerum cum pietate  
DEVM.


LIPSIÆ,  
EXCVDEBAT IOHAN=  
nes Beyer.  
cl. Is. LXXVI.



Joaclim Fridericus

AD FVEROS TE.  
trastichon.

Parue puer parum noli contemnere scriptum,  
Namq; tenet magni dogmata magna DEI.  
Absq; DEI verbo tibi quod sacra pagina monstrat,  
Omne tuum studium prosperitate caret.





CLARISSIMO VI-  
RO, ERUDITIONE, VIR-  
TUTE ET NOBILITATE GENE-  
ris præstanti D. Leuino de Schulenburgk, Cathedralis,  
Ecclesiæ Magdeburgensis. Canonico. Domino ac  
patrono suo colendo,

S. D.

**I**N iuuentutis sacra puncta scripsi  
Gratiam, monstrant pietatis illa  
Semitam, Res est grauis indicata  
Sub breuitate.

Legis ostendit breuiter Poëma,  
Namq; doctrinam, docet & salutis  
Dogma, proponit pia uota, formam  
Ritè precandi.

De sacramentis docet & rotundè,  
Sicut hæc Christus uoluit notari,  
Demit aut addit nihil, ipsa Christi,  
Verbaq; seruat.

Quod sacrum munus datur ergo uobis,  
Ac datur uestro titulo legendum  
Publicè, uultu facili uel æqua  
Mente legatur.

T. M.  
additiss.

Ioachimus Fridericus



PRIMA PARS  
CAPITVM RELIGI-  
ONIS DECALOGVS.

PRIMUM PRÆ-  
CEPTVM.

NE uenerare Deos alienos, cuncta creantem  
Non alios, vnum præter habeto DEVM.

SECUNDVM PRÆ-  
CEPTVM.

Sume DEI sacrum uanos ne nomen in usus,  
Non impunitus, qui facit illud, erit.

TERTIVM PRÆ-  
CEPTVM.

Sabbata facta DEO sacra, sanctificare memento,  
Absq; opera debet seprimus ire dies.

QUARTVM PRÆ-  
CEPTVM.

Semper honore tuos charos reuerere parentes,  
Viure quò possis secula longa senex.

QVINTVM PRÆ-  
CEPTVM.

Non hominem quemquam debes occidere, namq;  
Qui necat ense fero, rursus is ense perit.

SEX-



SEXTVM PRÆ

CEPTVM.

Crimen adulteriū uites, mœchabere nunquam,  
Alterius caueas contemnerare thorum.

SEPTIMVM PRÆ

CEPTVM.

Ne facies furtum, digitos cohibere memento,  
Alterius rapiant ne uiolenter opes.

OCTAVVM PRÆ

CEPTVM.

Testis ubi fueris, nihil attestabere falsū  
Mendacis linguæ noxia uerba fuge.

NONVM ET

DECIMVM.

Affectare tui non debes tecta propinqui,  
Affectus omnes eijce corde malos.  
Alterius nuptam, famulum, famulamq; bouemq;  
Ac Alinum, uel habet quod cupijisse caue.

QVE EST SVMMA HO-

RVM PRAECEPTORVM

omnium.

Corde DEVM toto, tota cum mente, anima q;  
Dilige, mox fratrem dilige deinde tuum.

SECUNDA PARS CAPITVM

PRAECIPVORVM RELIGIONIS.

A 3 SYMBO-



SYMBOLVM APOSTOLICVM.

PRIMVS ARTICVLVS  
DE CREATIONE.

**C**ondidit ex nihilo, qui mundum cuncta potest q̄  
In patrem firmo pectore credo DEVM.

SEC VNDVS ARTICVLVS  
DE REDEMPTIONE.

**I**n dominum Christum credo constanter Iesum,  
Est qui cœlestis Patris imago sui.  
Et prius è sancto conceptus Flamine, natus  
Inde fuit pura virgine natus homo.  
Plurima quiq̄ fuit passus regnante Pilato,  
Mortuus, & gelida deinde sepultus humo.  
Interea vindex nigrum descendit ad orcum,  
Tertia surrexit cum fuit orta dies.  
Stelligeri cœli superas ascendit ad ædes,  
Patris ubi ad dextram proximus ille sedet.  
Inde reuertetur, uiuos uitaq̄ carentes,  
Iudicet ut cunctos conditione pari.

TERTIVS ARTICVLVS  
DE SANCTIFICATIONE.

**C**redo quoq̄ in sanctum flamen de patre supremo,  
Et quod de gnato prodit utrinq̄ patris.

Con



Confiteor coetus & factos esse piosum,  
Qui uera celebrent cum pietate DEVM.  
Omnia per Christum credo peccata remitti,  
Omnibus, in quibus est indubitata fides.  
Credo quod ex tumulis olim caro nostra resurget,  
Quodq; hanc post uitam uita perennis erit.

**TERTIA PARS PRAE-**  
**CIPVORVM CAPITVM**  
Christianae Religionis.

**ORATIO DOMINICA**

**PRIMA PE-**

titio.

**O**Mnipotens & sancte Pater, possessor Olympi,  
Reddatur sanctum nomen ubiq; tuum.

**SECUNDA PE-**

titio.

**C**aelitus aduehiant nobis tua regna beata  
Omnibus, hic mundus quos spaciosus habet.

**TERTIA PE-**

titio.

**F**iat & in terris semper tua sancta uoluntas,  
In caelo fieri non secus atq; solet.

**QUARTA PE-**

titio.

**Q**uotidie nobis quoq; da potumq; cibumq;  
Pascere sacro uerbo pectora nostra tuo.

**QVIN-**



**QVINTA PE**

titio.

Sis mitis, nostræ dimittas debita culpæ,  
Vt damus offensi nos ueniamq; reis.

**SEXTA PE**

titio.

Nostra sit hæc aliàs cum uita referta malorum,  
Nos ne tentari Dæmonis arte sinas.

**SEPTIMA PE**

titio.

Nos defende malis clementer ab omnibus, & nos  
Protege, subsidijs tempus in omne tuis.

**CONCLVSIO.**

Namq; tuum est regnum, tua summa potentia, uirtus  
Est tua in æternum gloria tempus Amen.

**DE SACRAMENTO**

**BAPTISMI.**

**C**Vm uellet Christus superas ascendere sedes,  
Hos ad discipulos protulit ore sonos,  
Ite per immensum terrarum protinus orbem,  
Ac omnes gentes uerba docete mea.  
In patris, in Gnati, sanctiq; in nomine flatus,  
Vndis Baptismi quemq; lauate sacris.

**Nam**



Nam qui crediderit sacro baptisate lotus,  
Huic citra dubium vita perennis erit.  
Qui uerò non crediderit damnabitur omnis,  
Dæmonis in stygias præcipitatus aquas.

## DE SACRAMENTO ALTA- ris siue Cœna Dominica.

NOcte fuit Dominus qua noster Christus Iesus.  
Traditus, accepto talia pane refert:  
Ut comedatis eum quem porrigo, sumite panem,  
Est hic discipuli nam mea uera caro.  
Hunc edite, & quoties editis cum pectore grato,  
Debetis memores vos simul esse mei.  
Postquam cœnauit calicem, comprehendit & inquit.  
Omnes ex illo nunc bibitorum simul:  
Namq; nouum Testamentum est in sanguine, pignus  
Estq; calix veri sanguinis iste mei.  
Qui modò pro uobis effunditur omnibus, omnes  
Ut ueteres sordes abluat amne nouo,  
Hunc bibite, & quoties bibitis cum pectore grato,  
Debetis memores uos simul esse mei.

## BENEDICTIO MENSÆ.

QVæ simul in terris, in aquis & in aëre uiuunt,  
Omnia larga DEI nutrit alitq; manus.  
Corpora fessa queant ut rursus nostra foueri,  
Cum potu nobis da DEVS alme cibum.

GRA-



## GRATIARVM ACTIO.

**N**unc postquam sitis est & amor compressus edendi,  
Corde tibi grates dicimus alme DEVS.  
Pro bonitate tua DEVS. o bone pabula nostra  
Sic foueas, nostrum corpus ut illa iuuent  
Quo te possimus sani celebrare datorem  
Donorum, cui sit gloria laus & honos.

## PRECES MATV- TINÆ;

**O**Mnipotens æterne DEVS pater optime Christi,  
Ex toto grates pectore dico tibi  
Præterita a cunctis quod in hac me nocte periculis  
Seruaris, per opem texeris atq; tuam.  
Te supplex iterum uotis ardentibus oro,  
Hocce die custos ut meus esse uelis.  
Me defende DEVS discrimine semper ab omni,  
Angelicisq; tuis me tueare choris.  
Cor, mentemq; meam rege sic cum flamine sancto,  
Congruat ut dictis hæc mea uita tuis.  
Me tibi committo, mihi sic facer angelus adsit,  
Quæso tuus, ne quid possit obesse Sathan.

## PRECES VE- SPERTINÆ.

**S**ancte DEVS, grates toto tibi pectore dico,  
Quod me præterito texeris hocce die.

Insi.



Insidis quod me seruaris ab omnibus hostis.

Humano generi qui struit omne malum.

Nunc quoq; carpentem placidum per membra soporem,

Hac me custodi nocte sequente DEVS.

Angelicus custos me sic custodiat, hostis

Ne mihi per technas dira pericla paret.

In dextram commendo tuam Pater optime Christi

Corpus, & hanc animam per pia uota meam.

**P R E C A T I V N C V L A A D S A N**

ctam beatam & indiuiduam Trinitatem,

omni tempore neces

saria.

**N**Os rege sancte DEVS pater & dulcissime Iesu,

Quodq; sacrosanctum Flamen utroq; uenis.

Nos crudelis defendas Daemonis astu,

Qui male millena praeditus arte furit.

Angelis illam procul hinc custodibus arce

A nobis, ne qua parte nocere queat.

Vt te possimus laeti celebrare uicissim,

Dulcibus ac hymnis glorificare DEVM.

**C A N T I C V M B E A T A E M A R I A E**

uirginis Magnificat, uersib.

redditum.

**M**agnificē regem mea mens extollit Olympi

Exhilaratq; sacro Dominus mea uiscera plausu.


Cor quia respexit supplex, humilenq; ministram

Atq;



Atq; meos sancto uestiuit nutmine sensus:  
Cantabunt igitur me cuncta futura beatam  
Secula namq; DEVS miracula suscitāt in me,  
Eius in omne genus fuit & clementia manat,  
Explicuit forti uires, animumq; lacerto,  
Elatasq; suo dispersit robore gentes,  
Exaltans humiles, turbauit sede potentes.  
Esuriem saturans inopum, dimisit inanes  
Turgentes opibus: miserans diuina uidentis  
Suscepit pueri genus hoc, semenq; fidele  
Antiquis sicut responsa parentibus olim  
Abraamo natisq; dedit, proliq; nepotum.


F I N I S.
















ÆCIPVA,  
 LIGIO=  
 CHRI=  
 NÆCAPITA  
 RISPOETICIS  
 gata, & conscripta  
 pro pueris.  
*A*  
 OACHIMO  
 RIDERICO.  
 paruum quam maxima dog  
 mata scriptum,  
 onstrant uerum cum pietate  
 DEVM.  
 IPSIÆ.  
 DEBAT IOHAN  
 nes Beyer.  
 o. Is. LXXVI.

5

